Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 559

Quelle:
Copyright:

peregre defuncti *Epiſtola*, quam excipit in *Cod. Epitaphium* jam ſupra relatum.

VII. *fol.* 61. p. 2. *Incipit Liber de Conflictu Viciorum atque Virtutum. Sancti Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi.* Initium: *Apoſtolica uox clamat per orbem. atque in procinctu fidei poſitis. ne ſecuritate torpeant dicit* &c. Alias tributus *Auguſtino*, ut nobis *Codd.* pluribus. Omiſſus in edit. *Maur. Ambroſii*, in edit. *Auguſtini* legitur T. VI. *Append. col.* 219. duobus *Capp.* noſtro prolixior, qui finit c. 26. his verbis: *et mihi adhuc magis ſtupenda narranti fidem prebeto.* Autor genuinus videtur *Ambr. Autpertus S. Vincentii ad Vulturnum in Benevento* Abbas, ut ex *Admonit.* praevia *Maurianor.* diximus ad *Codd. ſupracit.* quos vide in *Indice.*

VIII. *fol.* 67. p. 2. *De Penitentia Salomonis* Dictum *Auguſtini, Hieronymi* et *Ambroſii. Cod.* CCCXLVI. adeſt etiam Dictum *Gregorii*, et Titulus: *De Salomonis Salute.*

CLXXXIX.

58 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 235. f. relictis Miniculatori literarum capitalium ſpatiis cetera nitidiſſime exaratus offert ſuperſtites XV. *Origenis Adamantii Alexandrini Commentariorum in D. Pauli ad Romanos Epiſtolam Libros, a Rufino Aquilejenſi Presbytero X. Libris latine redditos*, contractos et ſuppletos. Praefationis *Rufini ad Heraclium* hoc eſt initium: *Volentem me paruo ſubuectum nauigio omnia* (oram) *tranquilli littoris conſtringere* &c. Poſt hanc: *Incipit prefatio domini origenis ſuper epiſtolam beati Pauli apoſtoli ad Romanos. Quod cæteris apoſtoli Pauli epiſtolis difficilior putatur ad intelligendum hæc* &c. Ad calcem L. X. rurſus habetur Rufini *Commendatio finiti Operis*, cui ſubjecta eſt rubrica literis quadratis: *Explicit Liber Decimus Explanationum Origenis in Epiſtola Sancti Pauli ad Romanos Rufino Translatore.* Origenem Libris XX. in hanc Epiſtolam commentatum fuiſſe tradit Caſſiodorus, *Inſtitut. divin. lect.* C. 8. Interpolatos hos aevo ſuo, et deeſſe fere apud omnium Bibliothecas aliquanta ex ipſo corpore volumina queritur in *Praef. ſupracit.* Rufinus. Addidiſſe illum quaedam, breviaſſe alia ex *Commendatione* pariter *ſupracit.* diſcimus, atque hinc ſibi a quibusdam objectum non diffitetur, cur Operi non potius titulum fecerit: *Rufini in Epiſtolam ad Romanos Explanationum Libri.* Sed, quod Rufinus noluit, Hieronymo ejus adverſario poſtliminio obtruſum eſt. Prodierunt enim ſub ejus nomine Commentaria noſtra *Venet.* 1506. Rationes hujus erroris vide in *Praef.* T. IV. *Opp. Origenis Dom. Caroli Delarue. Pariſ.* 1759. f. cui Tomo ad *pag.* 458. Commentaria praedicta poſt Editiones *Jac. Merlini, Eraſmi Roterodami*, et *Gilb. Genebrardi* inſunt. De *Origene* et *Rufino* adi ſi lubet, *Hambergeri*

noſtri